

pro Dei oraculis venditarūt. Hoc certe imprudentibus effluxit. Cæterum, vt detur illis quod postulant, quàm ieiuna obsecro calumnia est, epitomen ex puris Apostoli verbis collectam arrodere, quasi festum S. Christofori damnem, quia Paulum de festis tractare indico.

Iob 28. b. 13.

Artic. 42.

Nescit homo pretium eius, neque inuenitur in terra suauiter viuentium. *Annotatio* In verbo Inuenitur, Ostendit tandem foelicitatem, quæ solis probis contingit, quæ æterna est, sita esse in sola in Deum fiducia. Bibliis 1545.

*Cësura*, Siue loquatur de foelicitate viæ, siue de foelicitate patriæ, hæretica est annotatio, nec facit ad intelligentiã textus.

Mirum est hæresibus adeò turgere, qui illas de nihilo subinde efflare non desinunt. Nullum est prope fidei Christianæ caput quod non hæreticum iam fecerint. Verum suas hæreses spargendo, quibus totus orbis infectus est, nihilominus eas in suis visceribus & Sorbonæ gremio fouēt. Interim quicquid putrido eorū stomacho nõ arridet, tanquã hæreticū respuunt. Vera fœ

g. ij.